

sua voluntate peruerterunt, & scripturas, Theologiae fundamen-tum, suo modo intellexerunt; ita dico de chymicis illis, qui lu-spensi fuerunt; non enim principijs chymicis vni sunt, sed tintu-ris & factis coloribus adumbrando, non componendo substantia-liter metalla ad modum naturæ, cuius imitatrix naturæ ars chy-mica est.

36 Obijcies 7. non potest fieri transitus de vna specie in spe-ciem; at metalla differunt specie; ergo &c. Responsum est huic obiectio[n]i in hac sectione n. 29. esto quod sint eiusdem speciei, & solùm differant, vt homo sanus, & infirmus, vt ego existimo; & si differant specie, dico verum esse non posse fieri transitus de specie ad speciem, eadem specie remanente; at non remanente eadem, potest transitus fieri: sit exemplum de binario nume-ri, qui fit ternarius numerus, vnde vna species numeri mutatur in aliam numeri speciem deperdita priori specie; ita fit quando vnum metallum mutatur in aliud metallum, amittit namque suam naturam & accipit naturam alterius, vt melius dum mis-tione loquar.

37 Obijcies 8. chymici non possunt cognoscere naturam me-tallorum; ergo &c. quia si cognouissent, vsquedum fecissent aurum & argentum; at qui non fecerunt; ergo &c.

Respoadeo, nego antecedens, quod non cognoscant naturam metallorum veri chymici; sicut etiam nego, quod vsquemodo quis non fecerit verum aurum & argentum arte chymica ete-nim, vt narrat Cælius Rhodiginus lib. 11. cap. 3. suo tempore in Gallia vir unus erat, qui quodlibet metallum trasmutabat in au-rum; quod Arnaldus à Villanova Romæ etiam hoc fecisset, nar-rat idem Cælius; immo leges hoc prohibent fieri quia possibile fieri est, non enim datur lex contra impossibile; quia negatoria lex prohibitiua foret; existimarem ego quod si nostris temporibus non inuenitur per artem chymicam modis faciendi verum aurum & argentum, sit quia malitia hominum, & otium viget, studia virtutum relicta sunt, non autem vitiorum, quorum in-executione tot falsitates in monetis reperiuntur. Hæc de arte chymica dixi transeunter, quia ego non sum chymicus, nec de-sidero talis esse, sufficit mihi parum philosophia habere, vt il-lam intelligam.